

B. 378.



VI.
DE BIBLIOTHECIS ET MVSEIS
ERFORDIENSIBVS.

PRAECIPVE
*DE REV. MINISTERII AVG. CONF.
BIBLIOTHECA.*

PARTICVLA III.

QVA
AD EXAMEN AUTVMNALE

D. V. VI. ET VII. OCTOBRIS MDCCC.
IN GYMNASIO SENATORIO HABENDVM
INVITAT

ET
SYMBOLAS IN BIBLIOTHECAM
ET MVSEVM GYMNASII

PER SEMESTRE PRAETERITVM DECIMVM A BENE-
VOLENTIBVS COLLATAS RECENSET

GYMNASII DIRECTOR

IO. IOACH. BELLERMANN,

THEOL. ET PHILOS. P. P. O., ACAD. EL. MOG. SCIENT. VTIL. SOCIVS
ET AB EPISTOLIS, SOCIETAT. LATINAE IENENS., OECON. LIPSIENS.,
MINERAL. IENENS., PATRIOT. WESTPHAL. ET NAT. CVRIOSOR.
BROCKHVSA - WESTPHAL. SODALIS.

— 5 — 8 — 5 —

ERFORDIAE,
TYP. IOAN. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

11. 378

Iam ad secundi et tertii codicis manuscripti hebraici descriptionem progrediar, et, ambagibus verborum abstenturus hic vt antea momenta potiora de codicum conditione, indole et aetate afferam; quae per compendium dicenda in hoc recensu rerum praestantissimarum in Bibliotheca Ministeriali seruatarum sufficiant, quoniam variantes lectiones in codicibus obuias producere neque huius loci nec temporis est. Praeterea varietatem lectionis in *I. Henr. Michaelis et Kennicotti* Bibliis allatam qualemcunque videre licet, vbi vero codicum descriptio accuratior secundum signa externa aegre huc vsque desiderabatur.

Codex II.

Codex manuscriptus est membranaceus, in folio maiori, qualibet membrana $1\frac{1}{2}$ ped. rhen. longa et $1\frac{1}{3}$ lata, foliis DLXXXIII, tribus columnis in qualibet pagina, (decem paginis versus codicis finem exceptis, quae duas tantum columnas vel vnicam exhibent) lineis XXXIII in qualibet columna; caractere quadrato intermedio, elegantia et literarum nitore haud secundo.

Hic codex omnibus numeris absolutus et integer continet: 1) totum Veteris Testamenti textum hebraicum; 2) paraphrasin chaldaicam in Pentateuchum, alternantibus versibus intertextualem; 3) utramque Masoram, minorem in margine, maiorem superne et infra positam, et 4) notas criticas, sed multo rariores quam in primo codice, in Pentateucho vt videtur nullas, in sequentibus libris perraras. Diuersis temporibus literas et vocales esse scriptas atramenti ratio demonstrat.

De Scriba, Punctatore, Critico et primo possessore parum liquet. In ima paginae Num. 5, 18. extremitate haec verba leguntur שלמה בר שניאור אפרים i. e. Schelomoh filius Schinior Ephraim. Quis hic Salomo, Sinioris filius, fuerit, et quando vixerit, nescio. Ceterum literarum forma et conditio atramenti conueniunt cum literis in Masora, minime vero cum illis in textu adhibitis, ita vt mihi nomen scribae Masorae videatur.

A

A Scriba et Punctatore differre *Criticum anonymum* ex quibusdam locis e. g. 1. Sam. 14, 44 elucet; Scriba enim posuerat *יעשה לי*, Punctator, vt videtur, expunxit *לי*, et Criticus expunctionem illam in margine probauit, additis verbis *כן הוא נזכר והמסור מוכיח כי איננו נזכר ויש ספריים שהוא נזכר* i. e. „Ita omnino est (sc. delendum *לי*) quia etiam Masora probat non legendum esse; sunt tamen alii codices (hebraici) qui illam particulam legendam praecipiant.*).

Cum hic codex anno 1349 in dira Iudaeorum persecutione in manus Christianorum venit, omnium minime hanc aetatem illi adsignandam esse pro certo affirmamus. *Cel. P. I. Bruns*, qui etiam hunc codicem, vt in progr. praeced. dixi, passim inspexit, illi, in catalogo codicum hebr., Dissertationi generaliori Bibliorum Kennicottianorum Tom. II. adnexo, pag. 112 initium seculi XIV adscribit. Coniecturis incertis indulgere non amo, multo minus illis nixus cum aliis certare aut aliquid certi definire audeo, attamen hoc afferre liceat, quod externa huius codicis species omnisque habitus illum primo codice multo antiquiorem reddat. Ob scripturam elegantem et priscam simplicitatem, ob parciorem literarum maiuscularum et minuscularum vsum, nec non ob minorem *טו* Kri et Clithib copiam non tantum cum *cel. Brunsio* in definienda codicis aetate consentio, sed etiam antiquiorem hunc codicem esse adfirmauerim, illique seculum XIII adsignandum putauerim. Nam praeter allata, quae etiam codices seculi XIII indigitant, et praeter flauiores quam in primo codice membranas, etiam illud, quod haud verosimile est, Synagogam Erfordiensem fere vno eodemque tempore duos codices tam splendoros scribi curasse, fortassis vrgeri potest.

* 2

Sic

*) In opere Kennicottiano 92 codices nominantur, qui particulam dictam *Li* in textu, et 7, qui illam in margine afferunt.

Sic haesitans denuo codicem inspexi, et hypothesesin meam confirmatam inueni. In prima nimirum pagina, variis figuris, floribus et duodecim animalibus (sc. Leone, duabus Spingi- bus, ceruo, hirco, capricorno, quinque auibus cornutis draconum- que instar longe caudatis et columba) artificiose scriptis ornata, sic legitur:

ויהי ל"ב וסימניהן ויאמר אלהים יהי רקיע בתוך יפת אלהים ליפת

Literae vocis ל"ב coronatae annum 52 aerae minoris designant, qui annus ex christianorum computo, additis 1240, no- ster 1272 est.

Voces librorum initiales sunt maiores, et variis floribus, auibus et quadrupedibus affabre fictis circumdatae. Simili mo- do singulis octonis foliis Masora magna in ima paginarum extre- mitate diuersis figuris seu picturis linearibus est ornata, ita vt quaelibet membrana octaua facile dignosci possit.

Ordo librorum differt ab eo, qui in primo codice observa- tus est. Libri sic sequuntur: Pentateuchus, Ios., Iud., Sam., Reg., — — Ierem. *), Ezech., Ies., duodecim Prophetae mi- nores, Cantic., Ruth, Threni, Coheleth, Esther, Psalmi, Iobus, Prov., Dan., Esra, Nehem., Chronica. Praecedunt ita- que Ier. et Ezech. Iesaiam, libri Megilloth Psalmos, et Iobus librum Prouerbiorum. Coniunguntur sine spatio non tantum I. et II. Sam. I. et II. Reg. I. et II. Chron., sed et prophetae Haggaeus et Zephania absque interuallo descripti sunt.

In adparatu critico, qui editioni *Io. Henr. Michaelitanae* s. Halensi subiectus est, citatur hic codex Erf. II., in operibus vero *Kennicottiano* et *de Rossiano* cod. 601. Auctores, qui de hoc codice aliquid literis mandarunt, sunt iidem, quos in de- scriptione primi codicis notauimus. Hoc vnicum addendum puto, exem-

*) Ex hoc librorum ordine in pluribus codicibus observato (e. g. Re- giomontano, vid. Lilienthal p. 48. Wolfii Bibl. hebr. T. II, p. 47 sq. Tychsen Bützowsche Nebenstunden. P. IV. p. 87.) explicandus est Matthaei cap. XXVII. v. 9.

exemplar autographon collationis *Diedericianae* in Bibliotheca Goettingensi seruari, quod quidem in programmata praecedente pro certo affirmare non ausus eram, iam vero, cum ipse huius codicis vt et primi collationem nuperrime Goettingae vidi, res extra omnem dubitationis aleam posita est.

Codex III.

Codex manuscriptus membranaceus, in folio maiori, qualibet membrana $1\frac{2}{3}$ ped. rhenan. longa et $1\frac{1}{3}$ lata, foliis CCCCLVII, tribus interdum duabus columnis, et in Psalmorum magna parte vnica tantum columna in qualibet pagina, lineis plerumque XXX. seu XXIX. in columna, caractere quadrato obsoleto non elegante et obtuso, atramento flauescente, non ex fuligine, vt videtur, sed ex gallis confecto.

Inest 1) *totus V. T. textus hebraicus*; 2) *Masora minor et maior*, haec superne et infra, illa a latere posita, sed non vbique absoluta, et tam ab impressa quam in codd. I. et II. obuia valde diuersa; 3) *notulae quaedam criticae* sed valde obscuratae. Tribus lacunis codex hic iam tunc, cum denuo ligaretur, laborabat; desunt nimirum folia 1) 2 Sam. 12, 27 ad fin. 2) Ierem. 44, 26 - Ezech. 8, 5. 3) Ies. 7, 24 - 34, 1.

Quae Scribam, Punctatorem, Criticum et primum possessorem tangunt, omnia incerta. De codicis aetate Brunzio-Kennicottus l. c. dicit: „*Scriptus videtur exeunte seculo duodecimo.*“ In Bibliis Halensibus hic codex est *tertius*, in Kennicotto et de Rossi vero 602dus.

Librorum historicorum dispositio consentit cum vulgari. Prophetae se excipiunt vt in codice secundo, nimirum Ierem. Ezech. Ies. et XII. minores. Deinde vero sequuntur Psalmi, Iobus, Prouerbia, Ruth, Cant. Cohel. Threni, Esther, Daniel, Esr. Neh. et Chronica. Praecedunt itaque Ieremias et Ezech. Iesaiam, et Iobus librum Prouerbiorum, eodem ordine quo in mox laudato secundo codice; sed et, quod mirum est, liber Ruth praeit libro Canticorum, et Ecclesiastes Threnis.

Psalmi neque in hoc, nec in cod. I. et II. numerantur, desunt enim literae ordinales א, ב, ג, ד etc., quae in aliis manuscriptis vsu veniunt. Modus vero scribendi Psalmos in hoc codice ab illo in I. et II. adhibito omnimodo abhorret, in his (I. et II.) enim Psalmi metricae, seu *συνακτῶς* sunt exarati, ita vt parallelismus membrorum, vnius *sub* alterum positorum, adpareat. In hoc autem codice versuum membra, diuisa quidem, sed *iuxta*, in vna linea sunt scripta. Attamen hacce Psalmos delineandi methodo tantummodo ab initio vsus est scriba, nam deinde omnia prosaice depinxit. Ceterum in toto hoc codice nullibi nec voces, nec literae initiales vel maiores vel ornamentis instructae reperiuntur, quam ob rem, si a ceteris antiquitatis signis discesseris, hic codex antiquissimis manuscriptis hebraicis, quales vlla Europae Bibliotheca offert, merito accensetur.

In codicis fine leguntur literae בְּנֵלֶךְ, quas, ne quis pro numeris, summam 102 efficientibus habeat, has esse scribendi compendia Iudaeis trita, adiiciendum puto; significant enim כה ברוך נתון ליעף כה i. e. Benedictus sit, qui dat lasso robur. Ies. 40, 29. Hoc votum etiam iisdem literis initialibus expressum in fine Prouerbiorum reperio.

Coronidis loco subscriptionem in infima vltimae paginae extremitate literis rabbinicis exaratam adponam, quae sic se habet: שלי זה הספר ר' נחמן בר אפרים זלע. Secundum verba: „*Mihi est hic liber Rabino Nachmanno filio Ephraimi, cuius (Ephraimi) memoria sit in benedictione aeterna.*“ Compendium scribendi זלע significat: זכרוננו לברכה עולם Num noster *Nachmann* fuit ille ex historia Iudaeorum literaria et ob filium suum celeberrimum Mosen, qui vulgo *Moses Nachmanides*, seu per compendium scriptionis רמבן *Ramban*, i. e. *Rabbi Moses bar Nachmann* dicitur, notissimus, iam in procinctu nescio; quandoquidem in Wolfii Bibliotheca hebraea, vbi Tomo I. p. 876 sqq. de Mose *Nachmanide* fuse agitur, patrem *Nachmanides*,

7

nis, qui in nostro codice Ephraim appellatur, nominatum non inuenio. Ceterum R. Moses Nachmanides anno 1210 (vid. l. c.) obiit.

Omnibus Gymnasio nostro benevolentibus, qui hoc semestri Bibliothecae et Musco varia liberaliter obtulerunt, grates persoluo maximas. Cum his et aliis donis generosis, in programmatibus nouem praecedentibus dictis, amorem et studium erga Gymnasium luculenter declarauerint ciues, optandum est, vt et ii, quorum auctoritas et vis est, Gymnasio locum aptum, ad thesaurum bene seruandum et commode illo vtendum, instar patrum procurare haud dedignentur. Fautorum nomina eorundemque dona per praeterlapsum semestre Gymnasio benefice missa sunt sequentia.

Herr Cand. C. C. Rudolph sen.: 4 Bücher, als Polydori Vergili de rerum inventoribus l. VIII.; Seldenus de Diis syris, una cum Beyeri ad Seldenii libr. addamentis, it. Hottingeri Archaeologia orientis, it. Hottingeri cippi hebraici; Almanach für Dichter 1785; Lessers Lithotheologie. — Herr C. L. Weimar: zwey große Hummerscheeren; 36 Sorten von Sämereyen in kl. Schachteln; Ramdohrs Magazinbienenbehandlung 1797; mit dem Prof. Gotthardtschen Unterrichte in der Bienenzucht. — Gymnasiast Rullmann: einen indianischen Pfeil und einen türkischen Dolch. — Gymn. Schär: ein Kupf. Cinq centimes Stück. — Gym. Sixt: ein religiöses Prätenzion. — Hr. Profess. Tennemann in Iena: dessen Gesch. der Philosophie, 3 Bde. 1798 — 1801. — Hr. I. Chr. Bellermann aus Petersburg: neun Stück russische Mineralien und drey Sr. russ. Münzen, als: blauer Chalcedon aus Nertschinsk; Iaspis aus Koliwan; Sienit ebendah; Granit aus Katharinenburg; Granaten in Glimmer von der Bäreninsel; gediegenes Kupfer in Kalkspath aus den Bankovischen Bergwerken; Atlaserz mit Kupferglaserz, ebendah.; krystallisirtes Kupfererz aus Koliwan; Kupferkies aus Olonez. Die Münzen sind von Paul I. — I. I. B. sechs Stück Pyrmonter Fossilien. — Hr. Schellhase: ein in einer Bouteille künstlich eingesetztes Bergwerksmodell. — Hr. D. Arnold: neun Bücher, als: I. M. Hasii regni Davidici et Salomonei descriptio. cet. fol.; Ej. De magnitudine comparata urbium, cet. fol. m. illum. K.; Dessen Vorstellung der Grundrisse der größten Städte im Alterthum, m. ill. K.; Tabulae chronologicae ad hist. univers. Norimb. 1743. quer. Fol.; Tabulae geographicae; Hasii histor. univers. 4; De l'Isle avertiss. aux Astronomes, Paris 1753. m. K. 4.; Bode astronom. Jahrbuch 1794; Rost's Atlas portatilis coelestis, Nürnberg. 1743. 8. m. K. — Hr. Hofr. Blumenbach in Göttingen: 4 St. Mineralien und 3 Münzen, als: Diamantspath von Eoromandel; Boracit in schuppigen Gypsstein und einzelne Borackrystallkörner, von Lüneburg; 2 Phociten, aus Siebenbürgen; ein mit der Dampfmaschine sauber geprägter engl. ächter Penny und 2 Sr. unächte Halfpenny's. — Gymnasiast G. G. Scheibner: Friedrichs II. Kön. v. Preuss. hinterlassene Werke, 15 Theile in 7 halb Franz.-B. Berlin b. Vols. 1788.

Vni-

Vnicum adhuc restat adiciendum: adsunt nimirum quatuor iuuenes, profectibus in literis humanioribus conspicui moribusque puris probati, qui decurso iam cum laude gymnasiastico curriculo, ad subsellia altiora rite et publice promouebuntur. Quatuor hi iuuenes, ne cruda et incocta studia ad Academiam afferrent, per quinque et semis annos nostras lectiones diligentissime frequentarunt, sibi que viam ad ampliora Vniuersitatis spatia omni cum adplausu panderunt; insuper orationibus a se compositis et e cathedra habendis, quantum in literis profecerint, monstraturi, gratum erga Patronos, Docentes et Commilitones animum palam testificabuntur.

1) CHRISTOPHORVS HENRICVS MÜLLER, Erford. tertio examinis die sermone latino *De veterum Aegyptiorum sacrificiis* declamabit et suo commilitonumque nomine, sonantibus tubis tympanisque admirumrantibus, extremum Vale dicet. — Castra Theologorum sequetur.

2) IOANNES JEREMIAS KVMMER, Erford. etiam tertio examinis die tempore matutino oratione latina *De Diis veterum Romanorum indigetibus* aget. — Theologiae excolendae operam dabit.

3) IOANNES GEORGIVS SCHAER, Erford. in examinibus novissimis bis iam declamationes latinas *De eximia studiorum humaniorum utilitate*, et *De conficiendae pacis apud veteres Romanos ritibus* cet. habuit. — Sacris literis operam suam nauabit.

4) CAROLVS SIGISMVNDVS SPANGENBERG, Erford. primo examinis die tempore matutino latine *De variis civium romanorum divisionibus* commentaturus est. — Ad Iurisprudentiae studium se conferet.

Praeterea optimae spei iuuenis

5) PAVLVS CHRISTOPHORVS SCHREIBER, Gisperslebio-Erfordiensis, secundo examinis die tempore pomeridiano orationem itidem a se compositam idioma vernaculo *Von der nöthigen Ausbildung der geistigen Kräfte in der Jugend* habebit.

His panegyribus scholasticis vt quicumque iuuenum studiis bene cupiunt, Patroni et Ephori amplissimi, omniumque ordinum auditores aestimatisimi, frequentes atque fauentes interesse velint, obseruanter rogo. Erfordiae, d. III. Oct. c1866.

Aa 535

4^o



VD18

ULB Halle


3

005 126 69X



M. C.





DE BIBLIOT
ERFO

DE REV. MIN
BIBL
PAI

AD EXAME

D. V. VI. ET

IN GYMNASIO S

SYMBOLAS I
ET MVS

PER SEMESTRE PRAE
VOLENTIBVS

GYMNA

IO. IOACH.

THEOL. ET PHILOS. P. P. O.,
ET AB EPISTOLIS, SOCIETAT
MINERAL. IENENS., PATR
BROCKHUSA

ERI

Typ. IOAN. CHRIST.



Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

inches

1 2 3 4 5 6 7 8

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

S

NF.

E

CIVS
ENS.,

Ms. 378

